

sequens actu (sic) et quod non remansi in capitulo in contradicendo arguunt pro consensu.

Ceterum affecto, ut, cum propter consensum meum vel alia acta per me necessitas vel utilitas ecclesie exposcit seu veritatis investigacio requirit, labor recurrendi ad registra literarum capituli concessarum de annis suprascriptis non vitetur et circa hoc eciam attendendum, quod materie, super quibus ut in pluribus me consensiente concesse sunt litere singule mei temporis predictis registris comprehense, per quendam clericum meum de mea consciencia seu me rogante sunt descripte quasi per modum tytolorum seu rubricarum in parvo quodam libello, qui libellus apud literas me super bonis salinaribus concessas ecclesie in libraria dominorum peto reponatur, ut ex literis et registris suprascriptis et ex ipso parvo libello et informacionibus conscriptis eciam post longos annos si opus sit possit apparere, quo iure possit ecclesia Hildensemensis vindicare bona quedam in Luneborch racione obligacionis translacionis et aliorum per me factorum tendencium ad illum finem quantum licite fieri potest et de necessitate salutis fieri debet.

In testimonium, quod predicta sunt de consciencia mea conscripta, sigillum meum presentibus est appensum. Datum Hildensem in curia quam inhabitamus anno domini millesimo trecentesimo octogesimo secundo in vigilia assumptionis Marie virginis gloriose presentibus dominis Nycolao dicto Wyse, regulari monasterii in Wittenborch¹⁾, Hermanno de Nyhem, canonico ecclesie sancte crucis Hildensemensis, Alberto de Nyhem, rectore parochialis ecclesie nove civitatis Hildensemensis, Thiderico dicto Schutken, vicario, Eghardo Moldener, lectore in ecclesia Hildensemensi, Johanne Botfel alias dicto Spanghe, clerico Hildensemensis diocesis, testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Copie im Copialbuch des Hildesheimer Domcapitels XV. Jahrh. im Staatsarchiv zu Hannover, p. 86—88.

¹⁾ Wittenburg.